SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XII.

ALLOCUTIO

HABITA

IN CONSISTORIO SECRETO

Die XVII. Novembris MDCCCXXIII.



ROMÆ MDCCCXXIII.

Ex Typografia Rev. Cam. Apost.

VENERABILES FRATRES

Vos ex hoc sublimi loco primum allocuturi, dubitavimus aliquantisper, Venerabiles Fratres, an de pontificia, ad quam Nos evexistis dignitate; gratias Vobis agere, an queri quod gravissimum apostolicæ servitutis onus Nobis imposuissetis, deberemus. Numquid Pio VII., de cujus laudibus nulla unquam ætas conticescet; Nos succedere voluistis; ut infirmitas Nostra cum tanto virtutum robore comparata evidentius, latiusque pateret? Collegas habebatis amplissima virtutum supellectile instructos; ideoque dignissimos; quibus Ecclesiam regendam committeretis. Cur Nos nullo meritorum præsidio munitos, reluctantesque illis præposuistis? Sed Nobis animo hæc agitantibus in mentem venit; Nos ab Eo revera electos esse; qui de lapidibus filios Abrahæ suscitare solet, quique infirma mundi eligit, ut fortia quæque confundat: Vos autem divinæ voluntatis interpretes et ministros extitisse. Quapropter cum superno Divini Spiritus afflatui magna alacritate; amantissimis studiis; mirabili consensu obsequuti sitis; querelarum loco sinceras unice, ac perennes a Nobis gratias vobis agendas esse intelleximus. Postquam igitur officio Nostro erga Eum satisfecimus, qui Nos inopes de terra suscitavit; ut in gradu omnium altissimo poneret; Fraternitates Vestras hodie convocavimus, ut quas ipsis debemus gratias, vere et ex animo persolveremus. Has autem gratias ita agimus, et sic a Vobis accipi volumus, ut persuasum habeatis, eas, cum occasio tulerit, etiam re nos esse reddituros:

Quidquid igitur ornandæ, augendæque amplissimi Ordinis vestri dignitati conducet, quidquid honoribus, utilitatibus, commodis uniuscujusque vestrum promovendis inserviet, id omne Vobis ex parte nostra nunquam defuturum pollicemur. Vicissim vero, Venerabiles Fratres, a Vobis requirimus, ut quam in deferendo Nobis Pontificatu alacritatem, quem consensum, quæ studia ostendistis, eadem in sustinendis Nobiscum supremi ministerii oneribus adhibeatis. Quam sæva Ecclesiæ Christi vulnera nuperis temporibus inflicta sint, quos orthodoxa Fides patiatur hostes, quæ morum depravatio ubique dominetur, quibus difficultatibus, angustiis, offensionibus ecclesiasticæ universim res premantur, optime nostis, Venerabiles Fratres. Nos profecto ad avertendam tot malorum colluviem, curas, laboresque Nostros diu noctuque intendemus: sed in tanta rerum gerendarum mole, nisi consiliis, operaque vestra nobis adfueritis, fieri non posse intelligimus, ut uberes illos, quos a Deo incessanter petimus, e procuratione nostra fructus capiamus. Agite ergo, Venerabiles Fratres, colendæ a sterilibus, noxiisque plantis purgandæ, fœcundis autem, et salubribus, ubi conveniens erit, instruendæ Domini vineae Nobiscum adlaborate, amplissimam inde mercedem consecuturi, quam actuosis, industriisque operariis suis cœlestis agricola repromisit. Ei tamen assiduis, et enixis precibus supplicabimus, ut agricolationem Nostram dirigat, et vires ad eam obeundam necessarias pro sua bonitate impertiatur. Nam neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.